

ε. Tandem anno domini 444. Leo, papa 47.<sup>283</sup> primam partem canonis „Hanc igitur oblationem“ etc.<sup>284</sup> missae addidit,<sup>285</sup> vocans Missam oblationem et sacrificium illibatum.

Quem secuti Gelasius,<sup>286</sup> Gregorius tertius<sup>287</sup> et alii, singuli suis temporibus, qui in immensum auxerunt coenam Christi ceremoniis, partim utilibus, partim superstitiosis, partim denique prorsus impiis, quarum multitudine coena ipsa tandem oppressa primum, deinde callidissimo satanae consilio et [141:] instinctu in missam priuatam et sacrificium impium pro viuis et defunctis commutata, postremo sic extincta prorsus, ut vix missae priuatae vel appendix esse videretur; id quod non sanctis patribus, sed Romanis pontificibus totum est adscribendum.

VI. Sexto neque negare possumus has voces, *oblationem*, *sacrificium* et similes, in scriptis s. patrum frequentes esse, sed non in ea significatione tamen, quam liber Interim eis tribuit, ut sit sacrificium applicatorium, item incruentum et oblatio rememoratiua vel repraesentatiua oblationis Christi in cruce etc. Nihil enim tale scriptum in patribus reperitur, et, si quid tale posset inueniri, deberet ad analogiam fidei corrigi et emendari, ut Augustinus in praefatione librorum de Trinitate,<sup>288</sup> item ad S. Hieronymum Epistola 19.<sup>289</sup> et alibi de scriptis suis et aliorum testatur. Nequaquam enim vult sanctorum patrum facta aut dicta inter articulos fidei referri, nec libros patrum pares apostolorum et prophetarum libris existimari. Nam de se ipso sic inquit: „Errare potero, haereticus non ero.“<sup>290</sup> Sed sancti patres aliud intelligi volunt per vocabula *sacrificii et oblationis*, quam ut sint applicatoria meritorum passionis et mortis Christi. Per missam enim non fit applicatio sacrificii Christi: nam unusquisque propria fide applicat sibi sacrificium Christi, et quidem gratis, non propter vel suum vel alie-[142:]num opus. Deinde non est de natura cuiuslibet sacrificii, ut pro aliis applicetur. Nam afflictiones nostrae sunt sacrificia et tamen non sunt applicandae pro aliis. Tantum enim propitiatorium sacrificium Christi fuit adplicandum pro aliis, quae applicatio fide fit non per missam priuatam. Praeterea quando fit mentio coenae Christi

<sup>283</sup> Leo I., Bischof von Rom 440–461.

<sup>284</sup> Vgl. Missale Romanum (1570), S. 282f des Originals (S. 342f des Faksimiles, Nr. 1511): „Hanc igitur oblationem seruitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus domine, vt placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Christum dominum nostrum.“ (Annahmebitte, daran schließt die Wandlungsbitte an).

<sup>285</sup> Vgl. Liber pontificalis XLVII, 8: „Hic constituit, ut intra actionem sacrificii diceretur sanctum sacrificium et cetera.“

<sup>286</sup> Gelasius, Bischof von Rom 492–496. Der Liber pontificalis (LI, 6) berichtet über ihn u. a.: „fecit etiam et sacramentorum praefationes et orationes cauto sermone et epistulas fidei delimito sermone multas.“

<sup>287</sup> Gregor III., Bischof von Rom 731–741. Vgl. Liber pontificalis XCII, 17.

<sup>288</sup> Augustin, Oratio in libros de trinitate, in: PLS 2, 1543–1545 (CChr.SL 50A, 551–555).

<sup>289</sup> Nicht verifiziert.

<sup>290</sup> Allgemein Augustinus zugeschrieben, jedoch ohne konkreten Nachweis.